

AP Latin Aeneid Book 2

- 40 Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
41 Laocoön ardens summa decurrit ab arce,
42 et procul: 'O miseri, quae tanta insania, cives?
43 Creditis avectos hostis? Aut ulla putatis
44 dona carere dolis Danaum? Sic notus Ulixes?
45 aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
46 aut haec in nostros fabricata est machina muros
47 inspectura domos venturaque desuper urbi,
48 aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.
49 Quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.'
50 Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
51 in latus inque feri curvam compagibus alvum
52 contorsit: stetit illa tremens, uteroque recusso
53 insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
54 Et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
55 impulerat ferro Argolicas foedare latebras,
56 Troiaque, nunc stares, Priamique arx alta, maneres.

201 Hic aliud maius miseris multoque tremendum
202 obicitur magis, atque improvida pectora turbat.
203 Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
204 sollemnisi taurum ingentem mactabat ad aras.
205 Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta -

- 206 horresco referens - immensis orbibus angues
207 incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt;
208 pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
209 sanguineae superant undas; pars cetera pontum
210 pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
211 Fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant,
212 ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
213 sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
214 Diffugimus visu exsangues: illi agmine certo
215 Laocoonta petunt; et primum parva duorum
216 corpora natorum serpens amplexus uterque
217 implicat, et miseros morsu depascitur artus;
218 post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
219 corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et iam
220 bis medium amplexi, bis collo squamea circum
221 terga dati, superant capite et cervicibus altis.
222 Ille simul manibus tendit divellere nodos,
223 perfusus sanie vittas atroque veneno,
224 clamores simul horrendos ad sidera tollit:
225 quales mugitus, fugit cum saucius aram
226 taurus, et incertam excussit cervice securim.
227 At gemini lapsu delubra ad summa dracones
228 effugient saevaeque petunt Tritonidis arcem,
229 sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
230 Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
231 insinuat pavor, et scelus expendisse merentem

232 Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
233 laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
234 Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
235 numina conclamat.



268 Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
269 incipit, et dono divom gratissima serpit.
270 In somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
271 visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
272 raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
273 pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.
274 Ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
275 Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
276 vel Danaum Phrygios iaculatus pupibus ignis,
277 squalentem barbam et concretos sanguine crinis
278 volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
279 accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
280 Compellare virum et maestas expromere voces:
281 'O lux Dardaniae, spes O fidissima Teucrum,
282 quae tantae tenuere morae? Quibus Hector ab oris
283 exspectate venis? Ut te post multa tuorum
284 funera, post varios hominumque urbisque labores
285 defessi aspicimus! Quae causa indigna serenos
286 foedavit voltus? Aut cur haec volnra cerno?'



559 At me tum primum saevus circumstetit horror

560 Obstipui; subiit cari genitoris imago,

561 ut regem aequaeum crudeli volnere vidi

562 vitam exhalantem; subiit deserta Creusa,

563 et direpta domus, et parvi casus Iuli.

564 Respicio, et quae sit me circum copia lustro.

565 Deseruere omnes defessi, et corpora saltu

566 ad terram misere aut ignibus aegra dedere.

567 [Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae

568 servantem et tacitam secreta in sede latentem

569 Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem

570 erranti passimque oculos per cuncta ferenti.

571 Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros

572 et poenas Danaum et deserti coniugis iras

573 praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,

574 abdiderat sese atque aris invisa sedebat.

575 Exarsere ignes animo; subit ira cadentem

576 ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.

577 'Scilicet haec Spartam incolmis patriasque Mycenias

578 aspiciet, partoque ibit regina triumpho,

579 coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,

580 Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?

581 Occiderit ferro Priamus, Troia arserit igni?
582 Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
583 Non ita: namque etsi nullum memorabile nomen
584 feminea in poena est, nec habet victoria laudem,
585 extinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis
586 laudabor poenas, animumque explesse iuvabit
587 ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.'

588 Talia iactabam, et furiata mente ferebar :]
589 cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
590 obtulit et pura per noctem in luce refuslit
591 alma parens, confessa deam, qualisque videri
592 caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum
593 continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
594 'Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
595 Quid furis, aut quonam nostri tibi cura recessit?
596 Non prius aspicies, ubi fessum aetate parentem
597 liqueris Anchisen; superet coniunxne Creusa,
598 Ascaniusque puer? Quos omnes undique Graiae
599 circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
600 iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.
601 Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae
602 culpatusve Paris: divom inclemencia, divom,
603 has evertit opes sternitque a culmine Troiam.
604 Aspice - namque omnem, quae nunc obducta tuent
605 mortalis hebetat visus tibi et umida circum

- 606 caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
607 iussa time, neu praeceptis parere recusa: -
608 hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
609 saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum.
610 Neptunus muros magnoque emota tridenti
611 fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem
612 eruit; hic Iuno Scaeas saevissima portas
613 prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
614 ferro accincta vocat.
615 Iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
616 insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva.
617 Ipse pater Danais animos viresque secundas
618 sufficit, ipse deos in Dardana suscitat arma.
619 Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
620 Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
621 Dixerat, et spisis noctis se condidit umbris.
622 Adparent dirae facies inimicaque Troiae
623 numina magna deum.